

Bibliothèque numérique

medic@

**Sanson, L. J.. - De Scirrho externo et
praecipuè de Scirrho testis**

1830.

Paris : Excudebat Migneret

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x11](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x11)

COMPETITIO

AD

AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,
INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIX.

De Scirrho externo et præcipuè de Scirrho testis.

THESIS

QUAM, DEO FAVENTE, IN SALUBERRIMA FACULTATE MEDICA PARISENSI, PRÆSEN-
TIBUS COMPETITIONIS JUDICIBUS, PUBLICIS COMPETITORUM DISPUTATIONIBUS
SUBJECTAM, TUEBI CONABITUR ;

Anno 1830.

L. J. SANSON,

CHIRURGÆ DOCTOR, CHIRURGUS SECUNDI ORDINIS IN NOSOCOMIO DICTO
HOTEL-DIEU, etc.

PARISIIS,
EXCUDEBAT MIGNERET.

M. DCCC. XXX,

0 1 2 3 4 5 (cm)

Præses,

D. DE LENS.

Judices,

DD.

BOUGON.

DÉSORMEAUX.

DUPUYTREN.

ORFILA.

RICHERAND.

BAUDELOCQUE.

LISFRANC.

Vicem-Gerens,

P. DUBOIS.

Competitores,

MAINGAULT.

LÉCORCHÉ-COLOMBE.

DELMAS.

HALMA-GRAND.

BOYER.

JOBERT.

MARECHAL.

LAUGIER.

GUERSENT.

GINIEZ.

THIERRY.

VIDAL.

BÉRARD.

DE SCIRRHO EXTERNO.

De morbo , quem ego sortitus sum tractandum , olim jàm perdifficiles coortæ sunt quæstiones ; per omnes ferè medicinæ ætates dissidia atque in varias partes opiniones concitare visus est. Neque vanâ de causâ , quantum ego sentio. Quâ enim merte rem circumspicias , quibus oculis intuearis , variè distraheris , nec tam dilucidè patet , ut hinc illinc jactato multa succurrant dubia , et suspenso tandem animo sæpius relinquareis.

Hinc , quid scirrhus probè atque pressius verbis constituere , et definitione certâ illustrare non constabat atque multum operæ visum est.

Veteres , quorum menti anatome pathologica nondum præfulgebat , vocabula et definitiones , quibus morbos explanare seu breviter describere nitebantur , sæpius ex eorum facie atque typis externis maximè præminentibus hauriebant. Sic Galenus , scirrhi nomen ex duritie suâ traxit atque hunc in modum explanavit : *tumor renitens , durus , gravis , sine dolore*. Cujus definitio longo post tempore viguit vel saltem paucas subiit mutationes , et tamen morborum , qui scirrhi nomine designantur , sunt qui necessario progrediuntur atque ingravescent , neque ad statum normalem regrediuntur , dum alii in gradu suo hære , vel etiam resolvi posse videntur.

Placuit , novissimis his annis , medicorum quibusdam discrimen illud diligentius perscrutari , atque causas ejus , anatome pathologica prælucente , investigare. Satis constabat , serie quâdam observationum , organum aliquod , scirrho affectum , faciem suam propriam immutare , indurescere , subflavum vel etiam cinereum induere colorem. Proficiebatur quidem lentè , sed multo majores profectus expectabantur , quum D. Dupuytren , in prælectionibus suis , discrimen fecit quod magni fuit momenti atque

ponderis, inter textorum procreationem, quæ textorum in corporis normali statu affinia sunt, et depravatam illam procreationem textorum, quæ his non sunt consentanea, quæque naturâ suâ numquàm ad normalem statum reverti solent, inque via et habitu suo perstare et prosequi nituntur. Scirrhum in hanc novissimam classem instituit, eamque notis suis præcipuis circumscriptis, adeò ut sensus tandem istius vocabuli altiùs introspicere liceret, liceret etiam hanc eandem vocem inflationibus, quæ peculiariter ad corruptionem tendunt, imponere. Itaque hîc scirrhi anatomici characteres imprimis revocandi sunt, quales à D. Dupuytren descripti fuerunt : documentorum haud immemor quæ à Bayle et Laennec relictæ, nec non à PP. Recamier, Cruveilhier et Andral recentius emissæ sunt, quibus innixum, haud dubium est, quin materiam istam subobscuram feliciùs perlustrare, atque sinceram et veram doctrinam, optimasque de scirrho definitiones assequi contingat.

DE CARACTERE ANATOMICO.

Vivorum nullum est textorum quod scirrhosæ depravationis immune sit ; quamcunque verò corporis partem invaserit, iisdem semper notis agnosci atque distingui potest. Scirrhus, ex sententiâ P. Dupuytren, speciem affectat massæ cujusdam gravis, duræ, diversam pro situ atque modo formam fingentis.

Duo sunt scirrhorum modi. Seu *diffusus* est, scilicet qui organi ipsius substantiam invadit inque suam traducit atque transformat, seu *circumscriptus* est, scilicet qui in mediâ organi substantiâ nascitur atque undique circumvolutus increscit.

Scirrhus duas obit periodos : varii sunt characteres ejus anatomici, prout morbus unam vel alteram prosequitur periodum. Primâ effluente periodo, oculis sese præbet quasi massam aspectu et firmitate similem lardo, seu fibro-cartilagini, et tunc semi-perlucidus, albicans vel subcæruleus (Recamier), congener, sub scalpello quasi stridens, bracteatus sine subtemine lineari, concretus quandòque ex lobis denso connexis fibro cellulari texto, quod albumine conglutinato imbutum videtur (Dupuytren).

Est quædam scirrhi forma seu varietas, scilicet qui cultro incisus solani tuberosi vel renis incisi faciem præ se refert. (*Solanoïde néphroïde*, de M. Récamier); *matière cérébriforme*, ou *encéphaloïde cru*, de Laennec) — Hic subtemen areolis sepimentis dividitur intercisum paulò albioribus tam albis quam pars intima, à centro ad superficiem radiantibus, vasculis denique conspersum quæ tenuissimæ circumdant tunicae. Secundam per periodum, scirrhus remollescit atque sinus sibi suffodit qui liquores continent pro colore, atque firmitatis gradu varios, vel materiam pulmentarem, roseam, similem infantium cerebri materiae (Dupuytren), et aliquandò mediâ in hac materiâ congeries sanguineas, apoplexiarum affines cerebralium. Sinus hujus parietes concretæ sunt ex parte aliquâ substantiæ tumoris qui primæ periodi notam servavit.

In iisdem fasces reperiuntur vasculares, à cæteris systematis circulatorii partibus sejuncti, qui eò magis sobolescunt quò mollior fit tumor.

Apparent aliquandò passim materiei *osteideæ* congeries. Inflammationis vestigia in vicinis partibus aliquandò videntur nonnulla; etiam eæ partes scirrhi fiunt; quùm totum tumorem invasit molities.

Scirrhi quidam cuti suppositi ad ulcus potiùs quam ad mollietatem tendunt.

Unus et idem tumor simul præ se ferre potest varios habitus de quibus suprà egimus. (*Squirrhes carcinomateux composés*).

In hac secundâ periodo tumor auctorum propriè cancerum occultum constituit. De eo igitur non ampliùs dicam.

Scirrhus etiam in textis morbidis nascitur atque coalescit: mediis in organis chronicè irritatis, nec non in strumosis tumoribus atque fibrosis vel erectionis morbidæ capacibus, deniquè sub ulcere canceratico. Omnibus in iis indolem sui propriam servat. Nisi cum chronicis indurationibus et fibrosis tumoribus confundi potest. Texta autem chronicè irritata minus dura, normalis texturæ vestigia præbent, et ex vasorum habitudine diversa sunt.

Fibrosi tumores ex subtemine lineari compositi sunt, tenaciores

1..

nec non simul flexibiliores , densiores , quasi concha margaritifera albicantes, et renixu proprio.

Ea tamen discernere sæpiùs perdifficile fateamur.

DE PATHOGENIA.

Medicos dividunt duæ opiniones de modo atque ratione quâ scirrhus nascatur.

Alii, *ens* eum quasi *parasiton*, sponte suâ mediis in partibus innatum , habent. (Deshayes-Gendron , Hunter, J. Adams , Carmicaël, Bayle , Laennec.)

Alii contendunt eum à degeneratione quâdam textorum constitui vel *hypertrophîâ* elementi cujusdam organici, quod lympham plati (albumen seu fibrinam) areolis cellularibus contineret vel secerneret (Martin, Abernethy, Burns, Himly, Broussais, Breschet, Ferrus, Cruveilhier, Andral, etc.) Experimentum recens à professore Cruveilhier factum, cui medio scirrhus organicum subtemen apparuit huic opinioni magnam supponit auctoritatem.

DE SCIRRHI NATURA.

Quæ sit causa proxima scirrhi ?

Utrùm atrabilis vel humor quidam melancholicus ? (Veteres omnes necnon Lieutaud affirmant.)

Utrùm lymphæ crassitudo, quæ inflammationem secuta sit vel non ? (Fernel, Boerhaave, Lapeyronie, Petit, Quesnay, Pelletan, Ledran, Chopart et Desault.)

Utrùm sit irritamentum hujus nervorum partis quâ in texto sese immergunt. (Camper, Dubois.)

Utrùm denique chronica inflammatio quæ in omnibus periodis morbi improbè supersit atque instet. (Broussais et ejus discipuli.)

Opinio hæc ultima, cui favent analogia, et ætiologia ab omnibus medicis veteribus recentioribusque edita atque accepta, probabilior videtur et veritatis forsân vicinior.

DE CAUSIS.

Causæ vulgò habentur istius morbi : injuriæ externæ, attritus, commotiones, stimulationes directæ, vel sympathicæ, repetitæ, inflammationes chronicæ, ulcera, præsertim venerea, chimica irritamenta, cessatio, interruptio vel suppressio phœnomenatum physiologicorum vel pathologicorum quæ in consuetudinem verterunt, seu periodicè recurrunt, vita sedentaria, labores immodici, malè sana habitatio, sedes in magnis urbibus, alimenta quæ corpus malè reparant, motus animi, tristes seu vehementes.

Hæ tamen causæ non vi eâdem incumbunt nec in omnibus *organismi* conditionibus.

Scirrhus rarò viginti antè annos, plerumque verò sex et triginta inter et quinquaginta, sævit. Tamen scirrhus oculorum frequenter apud pueros reperitur. Habitus corporis quo bilis et nervi dominantur generatim quasi causa *prædisponens* citantur; attamen D. Ferrus numeris probavit habitus lymphaticos sæpius scirrhus adfetos esse, et secundo ordine, sanguineos. Quod jam opinatus erat Sabatier.

Fœminis quàm viris potiùs imminet scirrhus.

Pueri à parentibus scirrhusi orti, non scirrhi eorum hæredes sunt, sed habitus prædisponentis : iisdem verò causis incidentibus, incidit et morbi periculum.

Quædam conditiones anatomicæ similiter causæ prædisponentes haberi possunt. Ex sententiâ Cruveilhier organa fibro-cellularia sæpiùs affectantur. Assertio hæc, frequentia sarcocelis, habitatio ratione scirrhorum qui cætera organa occupant, infirmanda esse videtur.

Ex causis tamen et conditionibus suprâ dictis non semper oritur scirrhus; quin etiam aliquando sine illis oritur.

Admittenda est igitur dispositio quædam latens cujus natura et indoles nos fugit, nempè prædispositio vel *diathesis cancrosa*.

Alii volunt propensionem illam totum simul habitum inficere, scirrhum autem quasi indicium symptomaticum in corporis quâdam parte emergere.

Opinionem habent alii, primum ad organum unum pertinentem, successivè totum corpus occupare. Alii deniquè virus esse existimantur; sed experientia docuit nullum in hoc morbo latere contagium. Observatum est multoties proclivitatem istam nunc in uno organo circumscribi; nunc in pluribus organis simul erumpere; nunc denique ab uno ad multa alia transgredi.

Nonne tunc resorptione, nervorum ope, sympathiâ, vel propensione quâdam organorum similium vel unius et ejusdem organici elementi, quâ easdem repetant corruptiones, propagetur? Quidquid de eo sit, diathesis illa cancrosa, nunc primitivam, nunc secundariam se præbet.

SYMPTOMATA. EVOLUTIO.

Scirrhum externum designant : Tumor plerumque circumscriptus, æquabilis in principio, durus, renitens, mobilis, lubricus sub digito premente, indolens sæpiùs, et quidem sub pressione, nisi tamen phlegmasiæ chronicæ succedat. In isto casu fit sedes occultorum dolorum fugacium.

Cùm tumor sponte sua ortus est plerumque nullum nisi gravedinis sensum affert qui pro situ et mole variat. Scirrhus cùm hunc gradum primæ periodi assecutus est, contingere potest ut in eodem statu perstet; aliàs tempore maximè vario elapso, injuriâ externâ inlatâ et sæpè remotâ omni causâ equidem levi, subito increscit tumor, mobilitate minuitur, cuti et textis circumlatis magis atque magis adhæret, et quia æstus ille quidam cui sedem præbet non æquali ex modo omnes partes agitat, tubera in circuitu oriuntur; tum dolores inducuntur lancinantes, vel acutiores si à principio inducti sunt. Somnum expellunt. Tum etiam firmitas fit inæqualis: cutis quæ usque ad hoc temporis sincera videbatur, faciem utatur, livorem induit subrubrum quâ parte tumori adhæret, tenuescit passim oculis præbet venas flexuosas dilatatasque. Cum verò hunc gradum secundæ periodo proprium attigit scirrhus, sive irritatione sympathicâ, sive circulatim usurpando, tumor circumscriptus esse desinit; ganglia lymphatica quæ cum eo communicant, tumores constituunt

qui primùm et plerumque indole suâ inflammatorii sunt, mox qui successivè easdem subeunt corruptiones quas tumor primitivus. Tunc morbus idem habetur ac cancer occultus. Fit nisus inflammatorius, quasi expulsurus malum, sequitur ulceratio quæ constanter ingravescit. Hic stare licet.

Scirrhus non semper præ se fert eas notas quas modò descripsimus, aliquando sejunctus permanet usque dùm ulcerandus est.

Fit aliquando ut, nedum sit circumscriptus, contrà diffundatur, minus emineat, magisque adhæreat. Scirrhi hujusmodi præsertim post quamdam evolutionem, non modo non progredi sed etiam contrahi indurescereque possunt.

Aliàs denique conflatus videtur ex genere quodam laminarum inæqualium, ut sub cute vel sub membranis muciparibus conspiciatur.

Quibusdam in casibus, scirrhi non moles sed densitas augetur.

Scirrhum sæpissimè non comitantur symptomata generalia. Tamen cum ortus est causâ quæ in plurima organa agit, aut cum unum corporis organum inficiens, scirrhi evolutionem in alias partes provocat, tum eum comitari possunt, etiam in primâ suâ periodo, symptomata cancrôsæ diathesis, quæ vulgò, nisi per secundam periodum, animadvertuntur : scilicet ; consumptio, flavus lividus helvusque cutis color, immunita liquorum densitas, sanguinis præsertim, ossa friabilia, ortus novorum tumorum in aliis partibus, egestionem colliquefactæ, febris denique etica quâ confectus paulò post æger supremum agit diem.

Animadvertere est ista symptomata secundaria multò seriùs manifestari solere cum scirrhus cystide obductus est, reverâ diutiùs tunc mobilis permanet sejunctus, sæpè quidem mollior fit sine ullâ vicinarum partium corruptione.

Statim ac aperitur iste, cachexia secundaria rapidiùs progreditur.

DE DIAGNOSI.

Tumores diversæ naturæ cum scirrho confundi possunt.

Obstructiones inflammatoriæ chronicae eò sæpiùs non differrent

nisi rapidius progredirentur, tactu sensibiliores essent, et minus præcisè circumscriberentur.

Cystides simplices minori laborant duritie, majori æqualitate conspicuæ sunt, alioque modo renitentur.

Fibrosi tumores minus duri quoque, elasticiores sunt, lobi eorum si aliquot habent, firmitate æquabiles; nunquàm verò ullum afferunt dolorem.

Strumosi tumores molliores sunt in sede gangliorum lymphaticorum insiti, sæpè multiplices et notas scrophulosi habitus exhibentes.

Fungosi tumores quemdam renixum præ se ferunt, in principio, quem fluctuatio conspicua comitari videtur.

Diagnosis tamen sæpè difficilis.

Ipsam inspectionem partium correptarum aliquando incertam esse memorandum.

Parvi refert tumores fibrosos, fungosos, aliosque resolutioni inaptos pro scirrho accipere, quia medela eorum communis extirpatio.

Soli tumores à quos distinguere scirrho magni refert, ii sunt qui discussioni non obstant: sensibus verò dubiis, *medicatio* ad resolutionem spectans eò utilior est, quod non solum diagnosi lucem afferre, sed etiam curationem efficere potest.

Quod si tumor quidam durus, inæquabilis, tactu insensibilis; jamdudum medicationi chronicis phlegmasiis, syphili, strumis, aptatæ, rectèque adhibitæ, non cedat; quod si hactenùs insensibilis, crebris instantaneisque lancinationibus corripitur, illum scirrhosum esse, jamque ad secundam periodum provectum, ferè haud dubitare est.

Verum enimverò tentamen illud curationis diagnosim non certè illustrat; sæpiùs accidit ut organa scirrhosa habita, tamen non scirrho inficerentur, depravata sit licet eorum normalis structura.

Clarissimis, tamen fallacibus notis, bis deceptus testes amputavi, quorum unus in tuberculorum congregatione innumerorum constituebatur, alter verò renis texturam, colorem, firmitatemque mentiebatur.

Contra vero experimento eodem, tumores, signis scirrhi evidētissimis induti, mirabilius aliquando discussi sunt.

Puellam, cum doctore Blaquièrè, observavimus cui, à pluribus mensibus, tumor, ovi mole, æqualis, et insanabilis existimatus, juxtà corpus thyroideum, proeminebat.

Hujus ablatio decreta erat. Hæc tamen (puellâ repellente) prorogata est. Medicamentis discussoriis illum tunc tentare statuimus, quorum ope, paucis diebus, evanuit.

DE PROGNOSI.

Obscurâ diagnosi, obscura prognosis.

Scirrhus exquisito primo canceri statu habito, illius prognosis mala; variis tamen circumstantiis, varia.

Scirrhus diffuso vetere, partibus inhærente vicinis, in organo nobili sedente, cachectum inficiente ægrum, jam remollescente, multiplice, velociter progrediente, altiore situ abdito, prognosis pessima.

Quò ab iis magis discrepant morbi circumstantiæ, eò magis favent.

Quarum inter optimas cystus. Hic enim dum integer maneat, substantiam scirrhosam obducit, atque vicinis secernit, ità ut perfectam ad mollitiem duci possit, nec cachexiam canerosam provocare.

Professor Dupuytren tumorem hujus generis in mammâ sedentem planeque mollitum incidit, eum vacavit, et sanationem consecutus est, kysto remanente.

Utrùm scirrhus discussionem admittat? Dicere difficile est.

Indagationi enim anatomicæ hi tantum subjiciuntur, qui aut medicamentis non tentati sunt, aut obstarunt. Quin etiam, quum tumores, ut scirrhi curati, sanati sunt, indagationem effugient, de eorumque naturâ relinquunt dubium.

Utrùm scirrhus per metastasim solvi valeat?

Ex duabus observationibus à prof. Recamier relatis, hunc exitum primâ facie possibilem esse, videtur. Ex primâ apparet, scirrhus quodam, qui à triginta annis mammam dextram occupabat, spontè soluto, morbum sinistram mammam invasisse.

Ex secundâ, statim ut dolores pungentes in cerebro supervenerant tumorem in dextrâ mammâ natum, mirè minuisse; sectoque verò cadavere, cerebrum scirrhus correptum esse visum.

Porro tantum, characteribus externis, tumoris de quo primo locutus sum, naturam explorari licuit. Quod ad secundam historiam spectat, utrum scirrhus ipse ad cerebrum migraverit, utrumve vicinarum partium inflammatio revulsa fuerit, dubium.

His aliquam affinem adjungam observationem, quam mihi transmisit obsequiosus Dr. Gueneau de Mussy, ex qua scirrhum per metastasim tolli posse, rectius concludere liceat.

Mulier quaedam septem et triginta annos nata, quae compressionis usu, scirrhus mammae liberata fuerat, atque paulo post tabis cancrisae signis molesta, in nosocomio dicto Hôtel-Dieu obiit. Secto cadavere, omnia glandulae mammae et papillae evanuerant vestigia; cutis quae sedem papillae usurpaverat, tenuis erat; eam inter et musculum pectoralem magnum, paucissima materies cretacea necnon cinerea interponebatur. Jecur, splen, uterus, ovaria, tuberculis innumeris scirrhosis farcta, reperta sunt.

Pluribus vero observationibus dubitationes, solum tolli posse, quisque sentiet.

DE THERAPEIA.

Diagnosis incerta, tumores quoscunque duros et indolentes, ad resolutionem aptos habere jubet, etsi scirrhosos. Sic gravissimi necnon crebri avertentur errores chirurgorum illorum qui, organa, saepius ad integritatem redditus capacia, temere secant, et ob prosperum eventum, ut perfectarum curationum exemplum suaeque peritiae felicitis testimonium, proponunt.

Hinc, omnis scirrhoso habitu induti tumoris primum resolutionem movere, edocti conantur Chirurgi.

Verum enim vero, his tentaminibus leges imponendae sunt.

Quid dicam de medico quodam qui puellae, quam postea exsanguem debillimamque vidi in nosocomio dicto Hôtel-Dieu, 900 hirudines apposuerat, ut parvum mammae tumorem solveret, et frustra.

Ne quid nimis.

Cum non profuerint medicamina discussoria, aut cum morbus citius ingravescit, ad ferrum recurratur.

DE DISCUSSORIIS.

Ut ad cunctos tenaces morbos , multa ad scirrhum prædicata fuerunt remedia : quorum illa extûs , illa verò intûs administrantur.

Inter prima ex. gratiâ , adnumerantur , 1.° *sedantia* , scilicet , saturnina ; 2.° quædam substantiæ , quæ falsè fictam chemicamque causam chemicè debellandi virtute , decoratæ sunt , scilicet ammonium , acidus carbonicus.

3.° *Specifica* , scilicet unguentum Pissier.....

4.° *Narcotica* , scilicet conium maculatum , atropa belladona , hyosciamus niger , laudanum.....

5.° *Dissolventia dicta* , scilicet ex iodina ex hydrargyroque composita.

6.° Tandem *antiphlogistica* atque *compressio*.

Ex aliis autem , præcipuè notata sunt : conium maculatum , atropa belladona , acetas cupri , arsenicum , ferri murias atque carbonas , barytæ murias , lacerta agilis chorio exuta et adhuc fremens ingesta , aqua pura hiemata (Pouteau) , aqua distillata (W. Lamb) , denique methodus antiphlogistica (Valsalva , Fearon).

Nullum inter ea specificâ virtute præditum. Quæ sunt incitantia , transitum ad secundam periodum præcipitant ; antiphlogistica verò , narcotica nec non dissolventia , arte consociata , sedare dolores , progressus scirrhi tardare , resolutionem tumorum dubiæ indolis etiam efficere , vulgò notum.

Remedia intûs ingesta , quæ similiter agunt , auxiliaria aut palliativa habenda sunt.

Antiphlogisticis methodicè adhibendis leges quædam sunt :

1.° Topicæ sanguinis emissiones crebres esse sed parcæ , emollientibus associatæ , et quoad benefaciant , renovari debent.

2.° Horum tunc in locum succedant resolventia necnon narcotica topica , sanorumque intestinorum utilissima purgantibus excitatio.

3.° Quod si irritationis signa demò in tumore effervescant , de integro remedia antiphlogistica adhiberi debent.

4.° Quùm autem à lue venereâ , sive à strumis morbus pendere videatur , medela iis adaptata ministranda est. Ubi etiam remedia antiphlogistica resolventibus narcoticisve consociata , vana fuerunt ,

valdè tamen, modo cuidam scirrhum medendi, nuperrimè perlaudato, quo D.^r Young primùm, professor Recamier, postea, usi sunt : viam aperiunt faciliorem, is est *compressio*.

Compressio sive modum nutritionis vitiet, sive alibilem materiem ad organa pervadere impediat, rectè quidem admota, haud parvæ utilitatis fuisse dicitur. Debet autem esse levis, æquabilis, constans, universalis, atque prout tumor solvitur modificari, tandemque post resolutionem prorogari; ut rectè exerceatur, agarico, fasciisque linteis uti, optimum. Ex tabulâ quâdam à professore Recamier editâ scitur, ex tringinta ægris compressionis subjectis, decem sanatos esse, quatuor ad sanationem attingere....

Nonnè quidem compressio omnibus scirrhis, atquè in omnibus eorum periodis, sit admittenda?

Etiam si non obstarent moles ingens tumorum, eorum situs in partibus omnis compressionis impatientibus, dolores nevralgici, etc. corruptionis ipso gradu rarior fieret comprimendi occasio. Scirrhum primâ periodo tantùm sanare valet compressio; scirrhu ad secundam periodum provento noxia est, siquidem, ut ego vidi, corruptionem valdiùs maturat. Tamen, in quibusdam gravibus casibus tanti fuit commodi inopinati, ut antequàm de eâ judicium feramus, novas et numerosiores observationes expectandas putemus.

Quùm autem medicatio interna et externa de quâ huc usquè diximus, morbum non sanârit, isque indesinentè progreditur, duæ operationes chirurgicæ indicatæ sunt : ablatio scilicet scirrhi, vel arteriarum quæ organum affectum alunt ligatio.

Arteriarum ligaturam proposuit nuper D.^r Maunoir, Genevensis, spe incitatus organi ægri, sic nutritionis suæ materiis orbat, obtenendi atrophiam. Sed tamen facilè intelligitur nihil efficaciter cessurum, nisi organum ab unâ arteriâ alatur, et sanguinis cursu, cum vicinis partitus non communicet. In paucioribus organis hunc reperire est casum. Vidi ego, Lutetiæ, hominem scirrhu affectum ad regionem parotidianam, quem ligatura arteriæ carotidis curare studuerat D. Maunoir, qui verò à Dupuytren extirpatus fuit.

DE OPERATIONE.

Opinionem habuerunt veteres necnon et recentiores scirrhus ablatos, quin etiam conglutinato vulnere, necessario renasci. Sunt ex medicis hodiernis plurimi qui hanc doctrinam profitentur. Habemus tamen exempla et quidem numerosa non solum scirrhorum qui, longo post tempore tantum, reciderunt; sed etiam stirpitum curatorum, semel, vel multoties successivè ablati.

Extirpatio igitur exercenda est, quoniam non modo sperare licet vitam aëgris producere, sed etiam aëgros curare. Accidunt tamen casus quibus operatio illa effici non potest; facilis verò est, spemque meliorem dabit medico, cum tumor est mediocris, solus, mobilis, indolens, quum hominem parvâ ætate propectum invaserit, parentibusque natum qui scirrhi immunes vixerunt, denique cum vi externâ illatâ ortus est. Quò minus tumori præfuerunt hæ conditiones, undique nascuntur difficultates, et cum his curatio incerta fit.

Operatio tamen est tentanda, cum tumor parum mobilis est, dummodò extirpari penitus possit, siquidem largius in organum cui adhæret incidere debeas, quin etiam radicitus abscidere.

Adhibenda est et operatio quum scirrhus spontè suâ ortus est, quia causa occasionalis vel injuria externa olim egisse potuit, nec ejus recordatus est æger; quia etiam scirrhusa propensio unum et idem organum potuit infecisse.

Abscidendi etiam opere prætium est, si plurimi insunt tumores, dummodò secundarii ex gangliis ad quæ vasa lymphatica à scirrhus orta appellant, conflati sint.

Docuit enim experientia, illa ganglia, primum genuinâ inflammatione corripi, adeò ut, relicta, sponte suâ, evanescere possint. Seriùs quidem scirrhusæ fiunt: operandum est tamen, si ea cum tumore præcipuo simul extirpare possis.

Scirrhus sive ab ortu, sive progressa tabe, multiplex, extirpari non potest.

Quum verò semel consilium operationem adhibendi iniisti, generatim tibi pro legibus habenda sunt sequentia :

1.° Quo casu tumor parvus, mobilis, superficieique corporis satis vicinus foret, arripiendus tibi primò est sinistrae manus digitis, ut tensio fiat cutis; 2.° tegumina satis largè incidenda sunt ut via pateat tumori; 3.° premendo efficiendus est prominens, deindè digitis vel unco corripendus; tùm, levia illa vincla quibus adhuc retinetur, scalpello vel forcipibus, abscidenda; 4.° digitum in plagam intromittas ut indè certior fias nullam remanere partem morbosam; 5.° si qua remaneret, præhendenda est atque extrahenda; 6.° conglutinatio ad primam, ut aiunt, indicationem tentanda.

Si tumor, adhuc mobilis, volumine mediocri constat, incisione cruciatâ factâ, vel litteram T imitante, nudandus est, et, si enucleari non potest, dissecandus et eripiendus.

Si verò majori constat mole, vel si cuti adhæret, vel si cutis vitiata est: 1.° inscribenda est pars omnis cutis quæ adhuc exuberaret vel quæ vitiaretur, quamque excidere tibi in animo est, duas inter incisiones semi-ellipticas; 2.° tumor extrinsecus attrahendus est; 3.° circumcidendus, nec non pars ejus postrema attingenda est ut resupinetur et tractione simul ac dissectione ab altioribus divellatur adhæsibus; 4.° tùm vasa liganda sunt, nisi ligâris prout opus erat; 5.° vulneri deniquè medendum est oras inter se committendo, nisi tamen, ob nimium substantiæ detrimentum, molestior foret hæc tractio.

Si scirrhus in unâ vel alterâ facie partis parum spissæ oritur, et si, velut lamina juxtâ superficiem latè diffusus jaceat, adde si sit mobilis, abscidi potest, relictis partibus subjacentibus intactis: si verò mediâ in crassitudine ortus est, vel si ad superficiem natus altiùs processerit, abscidendus est et cùm eo pars ima et crassa.

Quasi lex præceptum sequens venerandum; abscidendas cum scirrhus partes sanas quæ eum circumdant, et quidem densas, ut certior fias ne recidat morbus.

Sanè laude dignum est organis indulgere notabilibus; in hac mente recentèr proposita fuit ablatio solius texti tabe infecti. Sanationum exempla, hujus consilii præsidium, citata sunt. Quæram utrùm, hac methodo non vocabitur in periculum morbi recidivi,

ideò que utrùm diathesi cancrøsæ non objicietur æger. Liquebit hoc duobus factis quæ jam jam relaturus sum.

Homo novem et triginta anno natus, acceptus est in nosocomio dicto Hôtel-Dieu, xxvi nov. 1829. Istius, anno 1824, tumor scirrhusus in parte internâ conjunctivæ oculi dextri ortus ablatu erat, membranâ morbidâ excisâ. Morbo recidivo, necesse fuit denuò operari, quod anno 1825 actum est. Octo post mensibus, repullulavit tumor, et anno 1829 par erat mole grandis nucis; penitùs intervallum palpebrarum implebat. Ruber, durus, inæqualis altiùs tunicæ corneæ adherebat, oculique motus sequebatur. Tamen non eò ventum ut sedes dolorum lancinantium fieret. Conjunctiva palpebrarum omninò integra remanserat. Extirpatio oculi necessaria visa, et primâ decembris die, effecta est. Patuit examine anatomico corneam jam malo occupatam esse. Decimâ decembris die æger egressus est nosocomio, plagâ fere conglutinatâ.

Mulier quædam quinquaginta et duos annos nata, cæterùm habitu sano, affecta erat scirrho lenticulari, qui in scleroticâ oculi sinistri sedebat. Rogante ægrâ, chirurgus parisiensis illum excidit. Paulò post, acriùs rediit malum, et secunda operatio necessaria fuit. Rursùs repullulavit et tunc oculi globus extirpatus est. Certius factum est alias oculi partes necnon et nervum opticum sana remansisse. Paucis post mensibus omnis orbita impleta erat vegetationibus. Excisæ fuerunt et remedio Cosmico corrosæ. Morbus circumscriptus per aliquod tempus mox quartùm apparuit, mortemque obiit ægra. Secto cadavere, tumor repertus est scirrhusus in lobo anteriore cerebri, ad idem latus quam oculus affectus pertinente.

Recidivum malum, dummodò locale videatur, rursùs operandum.

Morbi reditum vitandi nulla noscitur certa ratio, nisi accurata causarum, fuga.

DE SCIRRHO TESTIS.

Scirrhus testis, *sarcocèle* vulgò dictus, paulò minùs frequens quàm mammarum scirrhus in foeminis, nunquàm pueros, juvenes rarò, sæpiùs maturam ætatem assecutos homines senesque inficit: ex duobus testiculis unum corripit.

Sicut unusquisque scirrhus externus , sive sponte suâ , sive à causis patentibus , oriri potest.

Inter eas causas , omnes illæ de quibus aliàs tractavimus , reperiuntur ; nunc de nonnullis sarcocelæ propriis dicemus.

Eæ sunt, coïtus frequentior usus , chronica urethritis , sive manifesta , sive jamdudum latens , juxta ductuum spermatis ora circumscripta , catheterismo tamen patefacta , undè irritatio phlegmasica ad testem per ductus spermaticos , spermaticas vesiculas , ductus denique deferentes , ad testem pertingit.

Omnes hæ causæ irritamentum adferunt. Undè fit ut scirrhus testiculi sæpius acutæ phlogosi hujus organi succedat.

Phenomenata inflammationis primitivæ subsequitur tunc induratio plus minusve gravis , diffusa et alta. Testiculus quo calor , tensio , dolor inerant , gravis remanet , et aliquâ in parte obduratus. Solet hic tumor in parte ejus posteriore et inferiore , et juxta epididymem oriri ; sæpè globulosus est , et quintam , quartam , tertiam vel dimidiam partem testiculi occupat. Aliquando totum organum duritie laborat , formam suam servans , quamvis augeatur mole.

Aliis casibus induratio paulatim ingravescit , et easdem induit notas , etsi nullum symptoma inflammatorium præcesserit.

Quidquid id sit , in hoc statu , testis , veluti et mamma , non dolet ; gravitas ejus sola , funiculum trahendo , ægrum vexat atque defatigat.

Status iste morbi per multos annos sic perseverare potest , nec progreditur ; sed , si aliquandò injuria aliqua nova illata est , si æger regimine sive coïtu immoderatè usus est , tunc subito increscit tumor ; tunc etiam fit molestior , et plus minusve rapidè partes invadit testiculi et epididymis , quibus usque ad hoc pepercerat.

Similiter progreditur quum in epididyme orta. Verum tamen in hoc casu funiculum testicularem rapidiùs , faciliùsque aggreditur.

Quidquid de eo sit , forma testiculi , quæ ad hoc temporis perstiterat , gradatim vitiatur , insolitè accrescit , inæqualiter tuberat. Eò magis importunis à doloribus cruciatus æger , pungentibus , crebris , lancinantibus , qui per funiculum testicularem usquè in abdomen

et lombos resonant. Si arcè premeris testem digitis, non tam acriter dolet quàm postquàm pressio cèssaverit.

Quò magis progreditur morbus, augescit funiculus, fit densior, et sæpè valdè indurescit. Reperias aliquandò et tubera distincta, et tumores secundarios usquè in abdomine et lombis nascentes. Reperias quoque sæpiùs duritiem quasi fibro-cartilagosam, etsi testis à parvo tempore ægrotet, paululùmque tumor ejus progressus sit; quo fit ut excisiones scirrhi, eò difficiliores evadant, minùsque prosperè obveniant. Testiculi moles, sæpiùs variatur. Professor Boyer exempla refert, quibus colligere est, organum illud indurescendo imminutum fuisse pro mole, et tandem nucis amplioris par evasisse: pauca verò ejusmodi exempla citares, quoniam sæpissimè ità augescit testiculus ut normalem molem bis, ter et quater æquet. Sed tamen nunquàm fit ingenti illà mole de quâ locutus est Dionis. Peritus ille chirurgus necnon et aliquot medici pro scirrho testiculi tabes scroti elephanticas posuerunt.

Quò magis tumor increscit, eò scroti integumenta ei arctiùs apposita, explicantur; simul et venæ dilatantur. Tandem tempus venit quo phlogosis quæ primò testem habuit sedem, cutem ipsam quæ eum cooperit aggrediatur; illa vitiati organi adhæret parti prominentiori, omniumque mutationum quæ postea in substantiâ ejus fiant, particeps est. Morbus iste cutis multò lentiùs erumpit in testiculi quam in mammarum et partium affinium scirrho, cujus causam videlicet reperies in testiculo à vaginali tunica undique segregato; antèquam cutis sic vitietur, necesse est enim ut pars tegumentaria hujus tunicæ testi adhæreat; quod non fit semper, præsertim ob seri effusionem quæ adhæSIONem hanc debellat.

Ex segregato testiculo sequitur etiam, ut, quandiù testiculus cuti non adhæreat, tantùm in pelvi et abdomine nasci possint tumores secundarii; contrà, cuti si adhæret, cutisque illa vitietur, ganglia lymphatica viciniora nempè inguinalia vice suâ possunt tumefieri.

Sarcocelen sæpissimè hydrocele solet comitari: tunc symptomata mixta observares, quæ ad utrumque morbum pertinent.

Sic, ubi serosa congeries incipit, tumor rapidius progredi videtur; fit etiam æquabilior, et in quâ parte sedet liquor, perlucidus. Digitis premendo cedentem primò sentias; mox verò digito tuo obstat moles dura et renitens; tumoris pondus gravius est quàm in hydrocele simplici, minùs verò grave quam in sarcocele....

DE DIAGNOSI.

Testiculi scirrhus cum plerisque tumoribus scroti confundi potest, et refert ut unus ab aliis discernatur.

Facilius eum ab herniâ distingues, ut in testiculo ipso esse cœpit scirrhus, ut funiculus testicularis facili tactu distinguitur, ut immotus remanet scirrhus per tussim, per sternutationem, et quùm æger onera graviora sublevare conatur; ut denique est formâ inæquabili, gravitate conspicuus, et invitâ duritie ejus, organa digestionis planè vigent.

Ratione habitâ eorundem symptomatum, facilius scirrhum testiculi et hydrocelen internosces: etenim hydrocelis tumor sanè in imo scroto oritur, æquabilis verò est, piri sub formâ se præbet; gravitate ferè æqualis simili aquæ congeriei, in omnibus ferè casibus perlucidus, generatim indolens, atque penitùs omnis lincinationis scirrhosæ immunis.

Scirrhus equidem satis frequenter hydrocelen complectitur. Sed ex symptomatibus amborum morborum intermixtis faciliè concludas quæ unicuique pertineant. Difficilius cartilagosam spissitudinem tunicæ vaginalis distinguas. In hocce casu, reipsâ, tumor fit inæqualis, durus et aliquandò dolorem afferens, quòd tunica, liquori coacervando obstans, testiculum suâ vice, liquoris ope, comprimit. Morbi, de quo agimus, dolores nullam habent lincinationem, funiculus sanus manet, æquabilior est tumor, lentiùs progreditur morbus.

Cùm scirrhus invasit, scroti cutis, longo tempore mobilis, tenuis et intacta circum tumorem remanet: in elephantiasi verò scroti, morbus in scroto oritur, etenim illud spissescit et solidis aliquandò tuberibus induitur, nullisque in casibus, à tumore distingui potest.

Ab hypertrophîâ testiculorum discernatur scirrhus, quòd organa illa jàm ab infantiâ ad tumefactionem spectarent, quòd firmitas eorum non mutata sit, denique quòd dolor nullus nec ullum morbi symptoma nimiam eorum molem concomitentur.

Abcessus per *congestionem* frequentius per viam cruralem quàm per ductum inguinalem transeunt, et quia, omnibus ferè in casibus, à supernis partibus ad inferiores progrediuntur, quia fluctuari solent, subque eis sanus manet testiculus, haud facile eos cum testiculis scirrho permiscueris.

Testiculus qui in annulo retinetur, inflammationis periculum nec non et scirrhi adit, quasi in scrotum descendisset. Attamen diagnosis tunc est obscurior; si verò causas morbi altiùs repetas, si rationem immobilis atque duri tumoris habeas, absentisque in scroto testiculi, deficientium quoque symptomatum quibus incarcerationi omenti sive intestini denunciaretur, tunc sperandi locus est scirrhum ab incompletis herniis, quibus primâ facie consentaneus videtur, discernere.

Phænomenata singularia quæ scirrhum kysto circumdatum consequuntur, persecuti sumus. Eadem ad testiculum scirrhosum pertinent ob tunicam albugineam. Ideò sæpiùs accidit ut interior tumoris pars tota fiat sedes emolitionis, cui favet insuper structura tenera organi : sedes etiam vitiorum multò maturiorum quàm ex morbi symptomatibus et ætate, colligeretur. Sic in eo cum scirrho reperiuntur melanosis aliaque vitia cum iis consentanea. Scitur testiculum unum esse ex organis in quibus Chirurgi Britanni sæpissimè fungos medullares repererunt, quos nomine fungos hæmatodes designarunt, quosque diligenter discernere est à textis erectilibus, tam lucidè à professore Dupuytren descriptis.

Scirrhus testiculi potest à statu strumoso ejusdem organi distinguì, quòd testiculus vel epidydymis primùm passim tumefiant et indurescant; quòd primùm tumor eorum inæquabilis, nodosus, parvisque tuberibus invicem sejunctis hirsutus. Æger dolores pungentes experitur nullos vel saltem paucos; sed tumores facilliter abcedunt, abcessusque per scrotum irrumpunt. Puris

irruptio , spontanea vel scalpello provocata , dolorem sedat , ex phlogosi quæ tegumina invaserat , ortum. Ex abcessibus istis effluit pus serosus et floxis albuminosis intermixtus. Ora eorum fistulosa permanent , et morbus indefinitè in hoc statu manet , nec ampliùs progreditur.

DE PROGNOSI.

Prognosis scirrhi testiculi , idem habet fundamentum quam cæterorum scirrhorum. Uno tantum differt , nempè statu funiculi. Generatim tumefactio istius organi , quùm malum in abdomen introcessit , sanationis spei non indulget. Præceptum est semper funiculum suprà inflationem suspectam abscidere ; undè mandatum est nunquàm operationem experiri , quùm funiculus altiùs tumefactus est , ut in parte aliquâ sanâ , abscidi possit.

Refert tamen tumores scirrhosos et alios diversâ indole internoscere. Ille etenim durus est , nodosus , doloris particeps , parùmque mobilis in annulo.

Funiculi *œdema* tumor absque nodis et dolore est , prementis digiti vestigia servans.

Varices tumorem habent gibbosum , comprimenti digito minùs cedentem , et stante ægro augescentem ; funiculus tamen in annulo liber est.

Deniquè funiculi hydropisis in kysto inclusa , fluctuatur atque perlucida est.

DE MEDELA.

Medicationes quibus debellandus est unusquisque scirrhus externus , præcipuè in scirrhum testis adhibitæ sunt. Cujus ergò medela medicamentis internis externisve , atque chirurgiæ operationibus constituitur. Hic latiùs ad sarcocelen spectantia dicam.

De his priusquàm disseram tamen , morbum illum sæpiùs quam alios ejusdem generis , à lue venereâ , urethrite imprimis , sive acutâ , sive chronicâ , quæ aut sympathiâ aut metastasi testis inflammationem produxerit , pendere notandum est.

Plerique ægrorum quorum testis scirrroso chronicove tumore laborat , juxtâ ductuum seminalium ora , acutissimam sensibilitatem , si fortè catheter in vesicam immeriseris , acriter denuntiant.

Quâcumque ratione medendi sarcocelen aggredi in mente habeas , multi interest , præcipuè si urethræ inflammationem secuta sit , ut ductus urinarius diligenter exploretur.

Quod si exquisitâ sensibilitate afficiatur , hæc illicò debellanda est , ut sublatâ causâ faciliùs effectus tollatur : quod sanguineis topicis emissionibus , tepidis balneis , candelis narcotico indutis medicamento , tentandum.

Medicamenta interna eodem modo in scirrhum externum atque in sarcocelen adhibenda , facile intelligitur. De his igitur nihil ampliùs dicendum.

Externorum autem usus , quibusdam legibus , sarcocelos melius delæ peculiaribus , institutus est.

Hirudines circa testem quàm secundum funiculum melius est apponere.

Alternis diebus , quindecim aut viginti admotæ , mox inflammationem partium testem ambiantium solvunt , et de scirrho. quasi alienâ mole expedito certius judicium præbent.

Solâ aliquandò illarum ope tumores , qui scirrhi judicari potuerant , evanescent.

Perstante morbo , si nullus dolor , ad resolventia , recurrendum : quòrum efficacissima hydrargiri fricationes , quas nonnulli usque ad salivationem ducunt.

Decubitus utilior : aut quoties æger stat , testem suspendere utilissimum.

Tumores testis , qui scirrholi reputati fuerant , per compressionem tentati sunt , nec in vanum à D. Bégin et Chevalley , ut referunt.

In hac mente , propositi fuerunt diversi apparatus qui in eo conveniunt quòd testem pressum teneant , seu undiquè ab iis involutum seu inter eos et pubem coactum.

Moderatè autem compressione utaris , sanè enim inter organa testis sensibilitate conspicuus.

Quo testis et connectarum partium morbidò statu suprâ dicta deserenda sunt remedia, et quo necessaria fit ablatio ?

Iisdem actis transformationibus, quibus unius cujusque scirrhi externo exigitur extirpatio, ad testis ablationem perfugiendum.

Ex conditione anatomicâ peculiari, hîc peculiare ducitur præceptum.

Funiculi corruptionem ablatio præcedat.

Haud sit igitur immemor chirurgus indiciorum quæ præbuit diagnosi, ut secernantur læsiones quæ ab operando avertant.

DE OPERATIONE.

Ad testem extirpandum, tabe non dilutâ infectum, hodierni reservant *castrationem* in quâ veteres versabantur ad curandam herniam, etc... (Aetius, Cœlius-Aurelianus.)

Chirurgi, qui de singulis discrepant, in eo consentiunt ut operationem hanc instantaneam in tres partes dividant. Scilicet :

1.° Tegumentorum membranarumque quibus involvitur testis sectio atque ab illis ejus separatio.

2.° Sectio funiculi spermatici.

3.° Arteriarum ejus astrictio.

In apparatu huic operatione necessario comprehendenda sunt ; cultri recti et convexi, forfices ad ligandum et forficulæ, fila cerâ induta, acus, quibus addantur spongiæ, aqua tepida frigidaque, resque necessariae ad plagam tegendam, scilicet linamenta variè disposita, agglutinativa emplastra, penicilla, fascia suspensoria.

Sit æger resupinus ad marginem tori, sinistram, si testis sinister extirpandus, et vice versâ, capite et thorace leviter inflexis, inflexis etiam cruribus simulque divaricatis : partibus operandis luci expositis ; collocentur unicuique tori lateri adjuvantes. Chirurgus, plenâ manu sinistrâ posticam scroti partem corripit, ita ut integumenta retrò reducta, antrorsum valdè tensa ad testem protrusum arctè applicentur ; tunc ea scalpello ab inguinali annulo ad imum scrotum insecat : testis è plagâ emergens ab adjuvante arreptus, attollitur, facilèque tum scalpello tum tractu à connectis sejungitur.

Quod si cutis niniùm extensa , sive adhærens , sive morbosa sit , duabus inscribatur incisionibus tota ejus pars quæ molesta est , quæque testem sequetur erumpentem.

D.^r Aumont , ne in imâ plagâ pus sese colligeret , posticam scroti partem , non quidem anteriorem , incidi docuit :

Faciliùs verò puris stagnationem vitabis , cùm anticam incisionem ad imum scrotum prorsùs duxeris : totum funiculum spermaticum detectum explorabis , annulum quidem inguinalem , si profuerit , incides.

Funiculo spermatico circumnudato , nonnulli illum , ne in abdomen repente retrocederet , filo astrinxerunt : alii duplice ligatura , acu per illum medium transductâ , et utroque latere notatâ , illum retinuerunt : plerique tandem illum adjuvanti detinendum , committunt , nec immeritò.

Quod si tamen inguinali tumor annulo vicinior sit , quin etiam si , cremastere musculo validiore , funiculus testicularis in abdomen retrocedere immineat , tunc ligaturâ arctâ amplecti decet , ne , ipso altius in abdomine abdito , sanguis intùs effundatur , nec sine periculo ; etsi , teste Sprengel , chirurgi quidam , sanguinis effluxum spontè suâ sistere , sinere fuerint soliti.

Quidquid de eo sit , funiculus , sive deligatus , sive digitis correptus citò resecandus est.

Ex arteriâ spermaticâ , nec non vasis ex aliis sanguis effluens singulatim deligatione accuratè sisti debet.

Tunc ligaturam inutilem nec non molestam primitivam , si fortè funiculo apposueris , solvas.

Plagam scroti accuratè abstersam explorare oportet , ut minima vasa deligentur : neque hanc , priusquàm sanguis omninò sistat , curare.

Conglutinationem per *primam intentionem* dictam tentare melius est.

Sarcocelen præsertim in mente habebat D.^r Maunoir , cùm arterias organorum nutritrices scirrhi infectorum deligare suaserit.

Testis qui sanguinem ab unâ præcipuâ arteriâ haurit , spermaticâ equidem , hac curatione faciliùs quàm quodve aliud organum

sanari posse videtur; ejus enim ope ille chirurgus testem scirrhum, ad normalem reductum molem, quin etiam semel omnino solutum vidit. Omnia organa, plurimis alta arteriis, et cum vicinis partibus, sanguinis partitu connecta, atrophiam haud admittere, ex infelici tentamine suprà dicto, patet. Quod ad sarcocelen spectat, pauciora sunt hujus curationis modi exempla, quàm ut de ea certi quid judicare liceat.

Quòd si operationem ipsam perpendas, molestam, perdifficilem, cellularis telæ funiculi nec non abdominis pelvisque inflammationem sæpiùs promovere posse, existimabis.

FINIS.